

Sibthorp, John ; Smith, James Edward [Editor]: Flora Graeca, sive plantarum rariorum historia, quas in provinciis aut insulis Graecis legit, investigavit et depingi curavit John Sibthorp: hic illic etiam insertae sunt pauculae species quas vir idem clarissimus, Graeciam versus navigans, in itinere, praesertim apud Italiam et Siciliam, invenit (Voluminis primi - Fasciculus primus): Vol. I.

London, 1806

Seite 133

TRIANDRIA MONOGYNIA.

31

Scirpus maritimus, capite glomerato. *Tourn. Inst.* 528.

Juncus maritimus. *Lob. Ic.* 87.

In arenosis maritimis Cretæ et Messenæ. \mathcal{A} .

Radix multiceps, repens, flagellis longissimis, teretibus, squamosis; radiculae tomentosae. *Culmi* solitarii, pedales, erecti, stricti, simplicissimi, nudi, teretes, glabri. *Folia* radicalia, plurima, vaginantia, longitudine ferè culmi, quandoque longiora, recurva, canaliculata, ecarinata, subpungentia, margine scabra. *Capitulum* terminale, hemisphaericum, e spiculis numerosis compositum. *Involucrum* universale triphyllum, recurvum, foliis conforme; adsunt frequentius inter spiculas foliola duo vel tria breviora. *Spiculae* sessiles, congestae, ovatae, 6—8-florae. *Glumae* subdistichae, ovatae, carinatae, acutae, laeves, scariosae, sanguineo-fuscae, carinam viridi; binæ exteriores steriles, reliquis contrariae, hinc ad Cyperos vix referri potest. *Stamina* tria, exserta. *Filamenta* nivea, complanata, flexuosa. *Antherae* lineares, luteae. *Germen* triquetrum. *Stylus* staminibus brevior. *Stigmata* tria, linearia, recurva, glabra. *Semen* obovato-triquetrum, fuscum, laeve, imberbe.

a. Spicula.

B. Flosculus magnitudine auctus.

C. Germen cum stylo et stigmatibus.

d. D. Semen.

CYPERUS.

Linn. G. Pl. 29. *Juss.* 27. *Gærtn. t.* 2.

Glumae paleaceae, distichè imbricatae. *Corolla* nulla. *Semen* unicum, imberbe.

TABULA 44.

CYPERUS COMOSUS.

CYPERUS culmo triquetro nudo, umbellâ foliosâ, spiculis linearibus longissimis, tuberibus ovatis: zonis obsoletis.

In palustribus prope Patras. *Sibth. in Herb. Banks.* \mathcal{A} .

Radix repens, flagellis horizontalibus, filiformibus, desinentibus in tubera solitaria, erecta, ovata, obsoletè zonata, fibrillosa, dura, aromatica, odore *Cyperis longi* atque *rotundi*, neque mollia, lactiflua, dulcia, ut in *C. esculento*. *Culmi* solitarii, e tuberibus præ-